

Češka, Josef; Hošek, Radislav

## Tituli sepulcrales

In: Češka, Josef; Hošek, Radislav. *Inscriptiones Pannoniae Superioris : in Slovacia Transdanubiana asservatae*. Vyd. 1. Brno: Universitas Purkyniana Brunensis, 1967, pp. [65]-100

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/119916>

Access Date: 16. 02. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

# TITULI SEPULCRALES



## 26. TITULUS SEPULCRALIS IN STELA

Stela marmorea (*a.*: 2,00; *l.*: 0,67) superiore parte columellis sculptis et corona ornata, summa autem parte rosaceum ornamentum in aëtomate situm continens. Quibus subter in tabula profundiore (*a.*: 0,93; *l.*: 0,43) marginibus circumdata litterae tituli altitudine paululum dispares (vv. 1 et 3: 0,08; vv. 2 et 4—8: 0,075; v. 9: 0,035—0,04) facile legi possunt. Nonnullarum litterarum et latitudo commemoratione digna est: D (v. 1) = 0,04; O (v. 2) = 0,065; E (v. 5) = 0,02. Spatia singulis versibus interposita valde inter se differunt (0,04 inter v. 1 et 2; 0,04 inter v. 2 et 3; 0,05 inter v. 3 et 4; 0,05 inter v. 4 et 5; 0,05 inter v. 5 et 6; 0,02 inter v. 6 et 7; 0,02 inter v. 7 et 8; 0,005 inter v. 8 et 9).

Reperta est apud vicum Chotín (districtus Comarnensis), unde in vicum Bajč et postea una cum tribus aliis lapidibus, quibus Romana aetate inscriptiones incisae essent, in oppidum Nové Zámky transvecta esse dicitur (CIL III 4351 et 4352). Ibi externo muro boreooccidentalis partis molendini veteris una cum alia stela — a nobis s.n. 27 laudata — eo est insaepta modo, ut commode legi possit. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-34482) deposita est.

## 1. dimid. saec. II.

Vidimus; CIL III 4352; J. Kurucz, *RN* 49; A. Stein, *Karpathenland* 4, 1931, p. 103; V. Ondrouch, *LR* 38, n. 7; L. Barkóczy, *Brig.* 51, n. 8.

## Varia lectio:

- (3) *NgVS VEt* male legerunt CIL III 4352, alii.  
 (3—4) *NGVS VE|T* lapis.

## Tituli transcriptio:

- (1) *D(is) M(anibus)*  
 (2) *C(aius) Iul(ius) Lo-*  
 (3) *ngus ve-*  
 (4) *t(eranus) leg(ionis) I Ad(iutricis)*  
 (5) *Cl(audiae) Secun-*  
 (6) *dinae c-*  
 (7) *o(n)iugi et*  
 (8) *sibi vivo*  
 (9) *fecit.*

Corona stelam ornante nisus monumentum primae parti saeculi II. addixit Barkóczy (*Brig.* 36).



Stela sepulchralis cum titulo n. 26

## 27. TITULUS SEPULCRALIS IN STELA

Stela calcarea (*a.*: 1,44; *l.*: 0,86) tabulam cum titulo profundiorem (*a.*: 1,07; *l.*: 0,49) et ab omni parte marginibus (*l.*: 0,14) circumdatam continet. Extra tabulam litterae D (*a.*: 0,08; *l.*: 0,07) et M (cuius vestigium aegre cerni potest), intra tabulam ceterae facile leguntur. Altitudo litterarum singulis in versibus diversa est (vv. 2, 3, 8—10: 0,045; vv. 4—7, 11: 0,05). Spatium singulis versibus interpositum latum est 0,03—0,035.

Stela reperta est in vico Chotín (districtus Comarnensis), unde in vicum Bajč et postea una cum tribus aliis lapidibus, quibus Romana aetate inscriptiones incisae essent, in oppidum Nové Zámky transvecta esse dicitur (CIL III 4351; cf. et 4352). Nunc externo muro boreooccidentalis partis molendini veteris in civitate Nové Zámky una cum alia stela — a nobis s. n. 26 laudata — eo modo insaepa est, ut commode legi possit. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-34481) deposita est.



Stelae cum titulis n. 26 et 27 muro molendini veteris in oppido Nové Zámky insaepatae



Stela sepulchralis cum titulo n. 27

## Saec. II.

Vidimus; CIL III 4351; J. Kurucz, *RN* 48; A. Stein, *Karpathenland* 4, 1931, p. 103; V. Ondrouch, *LR* 35, n.1; L. Barkóczy, *Brig.* 53, n. 36.

## Varia lectio:

- (5) *LEG. ADI. P. F* non accurate Kurucz; ante *ADI* hederam insculptam esse male putat CIL III 4351.  
 (11) *C* non *G* — ut CIL III 4351, alii — legendum est.

## Tituli transcriptio:

- (1) *D(is) M(anibus)*  
 (2) *M(arco) Fuficio M(arci) fil(io)*  
 (3) *Vel(ina tribu) Marcello*  
 (4) *Aquil(eia)*  
 (5) *7 (= centurioni) leg(ionis) I Adi(utricis) P(iae) F(idelis)*  
 (6) *Ulpia Avita*  
 (7) *coniux*  
 (8) *et Fuficia*  
 (9) *Marcellina*  
 (10) *filia*  
 (11) *h(eredes) f(aciendum) c(uraverunt).*

Titulus aetati inter annum 114, post quem legio I Adiatrix Brigetionem venit (cf. A. Mócsy, *Pannonia* 616,10), et annum 212, a quo discriptio civium in tribus valere destitit, interponendus est. Barkóczii (*Brig.* 38) sententia titulus initio saeculi II. incisus est, sed litterarum formae aetatem demum Caesarum adoptivorum posteriorum indicare videntur.

## 28. TITULUS SEPULCRALIS IN SARCOPHAGO

Sarcophagi calcarii (*a.*: 0,76; *l.*: 2,23) pars frontalis tabulam cum lateribus ornamento geometrico convolutis continens (*l.* cum ornamento: 1,49; *l.* sine ornamento: 1,18; *a.*: 0,57), titulum et in tabula et extra tabulam habet incisum, cuius litterae altitudine in omnibus versibus impares esse inveniuntur (v. 1: 0,08; v. 2: 0,07; vv. 3, 4, 6, 8: 0,065; vv. 5 et 7: 0,06; v. 9: 0,065—0,075).

Sarcophagus inter Comaromium (Komárom in Hungaria) et Arrahonam (Győr) a. 1654 repertus esse ab editoribus CIL III 4327 dicitur. Priorem locum, unde ortus sit, Barkóczy Brigetionem esse putat. Sarcophagi pars frontalis muro externo occidentali ecclesiae euangelicae Comarnensis 110 cm super terram insaepta est, ubi autem aliae sarcophagi partes, praecipue operculum, hodie invenirentur, frustra quaerebamus. Imago tituli photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33615) deposita est.





Titulus n. 28 in sarcophago

2. dimid. saec. II.

Vidimus; CIL III 4327; L. Barkóczy, *Brig.* 57, n. 120; S. Segert—L. Vidman, *LF* 79, 1956, p. 171—173; S. Segert, *Slovenská archeológia* 5, 1957, p. 240—244 (cf. *BCO* 3, 1958, col. 259 sq.); *AÉp.* 1958, n. 149; G. Alföldy, *Arch. Ért.* 86, 1959, p. 70—72; *AÉp.* 1960, n. 56; Z. Kádár, *Die Kulte* 60, adn. 1.

Varia lectio:


- (1) *DM* extra tabulam ab utraque parte tituli exstant.
- (2) 7, i. e. centurionis siglum, omisit Segert.
- (7) *tianae* Alföldy, *tiane* alii, lapis.
- (9) *HE* in ligatura; omnis textus v. 9 extra tabulam in margine eius inscriptus est et litteras intervallis imparibus distantes continet.

Tituli transcriptio:

- (1) *D(is)*            *M(anibus)*
- (2) *M(arci) Val(erii) Valeriani* 7 (= centurionis) *leg(ionis)*
- (3) *IIII Fl(aviae), vixit an(nis) XLII,*
- (4) *et M(arco) Val(erio) Ulpio eq(uo) pu-*
- (5) *bl(ico) fil(io), vixit an(nis) VIII, simu-*
- (6) *l conditis. Ulpia Para-*
- (7) *tiane marito et filio*



Muri ecclesiae evangelicae Comarnensis, cui sarcophagus cum titulo n. 28 inscriptus est, status pristinus



Muri ecclesiae eiusdem status hodiernus

(8) *et Ulpia Valeria filia*

(9) *heredes f(aciendum) c(uraverunt).*

Titulum 2. parti saeculi II. Barkóczy (*Brig.* 19, adn. 158) et Segert cum Vidmano (*LF* 79, 1956, p. 173), qui omnes et nonnulla ad rationem tituli pertinentia pertractant, attribuentes inter se consentiunt. Alföldy autem, formam ornamenti geometrici investigans eamque quadratariorum officinae initio saeculi III. Brigetione fungenti adscribens, titulum temporibus Caracallae imperatoris addixit. Sed cum nobis explicatione eius (cf. ornamentorum formas valde inter se differentes — Alföldy p. 70) non persuaderetur, priorum editorum argumenta accepimus.

Operculum titulo Graeco (ΠΑΛΜΥΡΙ ΕΓΨΥΧΕΙ ΜΕΤΑ ΠΑΤΡΟΣ) praeditum (cf. CIL III 4327; Barkóczy, *Brig.* 57, n. 120; Kádár l. c.) ad nostrum sarcophagum non pertinere perlucide demonstravit Segert.

## 29. TITULUS IN TABULA

Lapis calcarius (*a.*: 0,90; *l.*: 1,50; *cr.*: 0,42) cum lateribus ornamento geometrico convolutis tabulam (*a.*: 0,65; *l.*: 1,15) cum titulo valde detrito continet, cuius paucae litterae (*a.*: 0,055) aegerrime leguntur. Super tituli tabula litteram *M* in imagine photographica cernere putamus.


Repertus est a. 1793 in colle Abadomb appellato, ubi claustrum quoddam pristinis temporibus stabat. Unde in vicinum oppidum hodie Hurbanovo appellatum transvectus est ad locum, quo ecclesiae reformatorum aedificium novum struebatur, sed magnitudo molis obstabat, ut parietibus ecclesiae includeretur. Saeculo praetereunte matres innuptae, quibus ecclesiam cum ceteris visitare non licebat, in eo sedere iubebantur. Quae testimonia Alexander Nagy, ecclesiae reformatorum in oppido Hurbanovo (districtus Comarnensis) parochus, libenter nobis a. 1962 enarravit, cuius memoriam gratis animis retinemus.

*Ca a. 200.*

Vidimus; CIL III 4353; J. Kurucz, *RN* 49; V. Ondrouch, *LR* 54, n. 49.

### Varia lectio:

- |     |   |                                  |
|-----|---|----------------------------------|
| (1) | <i>M</i>  | editores non legerunt.           |
| (2) | <i>CAR VINDICTO Q</i><br><i>CAR VN̄VINDICTIQ̄CT</i> | CIL, Kurucz, Ondrouch.<br>lapis. |
| (3) | <i>OT N</i><br><i>§ VNV NN</i>                      | CIL, Kurucz, Ondrouch.<br>lapis. |
| (4) | <i>E</i><br><i>Dϕ</i>                               | CIL, Kurucz, Ondrouch.<br>lapis. |



Titulus n. 29 in tabula sepulchrali

**Tituli transcriptio:**

- (1) [D(is)] M(anibus)  
 (2) C(aio) Ar[r]unt(io) Vindici Ø (=quondam) q(uaestori?)  
 c(ivitatis?) T

(3—6) .....

Siglum Ø legendum esse „quondam“ CIL III in indicibus (p. 2675) docet (cf. et CIL III 14347<sup>3</sup>). Versum tertium et tres fortasse versus sequentes, in quibus raras litteras leguntur et nonnullarum aliarum, quae legi non possunt, vestigia apparent, transcribere non audemus. In versu autem quarto post litteram D hedera insculpta esse nobis videtur.

Forma ornamenti geometrici similis est non solum illius, quam titulum n. 28 legentes cognovimus, sed etiam earum, quas G. Alföldy (*Arch. Ért.* 86, 1959, p. 70—72) respiciens officinae quadratariorum initio saeculi III. Brigetione fungenti addixit.



Stela sepulchralis cum titulo imperfecto n. 30




Tabella tituli imperfecti n. 30

## 30. TITULUS SEPULCRALIS IN STELA

Stela calcaria (*a.*: 1,61; *l.*: 0,58; *cr.*: 0,22) tabellam tituli causa profundiore (a.: 0,49; *l.*: 0,37) exhibet cum una tantum littera *A* (a.: 0,04).

Aëtoma cum tympano, cui corona iam detrita inest, et cum duobus acroteriis superiorem facit partem stelae, qua subter aediculam in arcum curvatam videre possumus. Extra aediculam et sinistro et dextro angulo, quos curvatura efficit, rosacea ornamenta inserta sunt, intra aediculam imago viri defuncti in lapide sculpta conspicitur. Infra aediculam litterae *DM* (a.: 0,05) leguntur. Ut ex lineis clare factis videtur, stela ad titulum incidendum a lapicida iam praeparata nullum umquam praeter *A* litteram titulum portabat.

Ubi reperta sit, ignoratur. Nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2785 asservatur. Imagines photographicae in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33601: omnis stela, P-33623: tituli tabella) depositae sunt.

*Post a. 200.*

Vidimus. Titulus publici iuris nondum est factus, stelam O. Pelikán (*Slovensko a rímske impérium*, p. 185) pertractans saeculo II. exeunti vel potius saeculo III. ineunti addixit. De coronis in aëtomatibus cf. et L. Barkóczy, *Brig.* 36.

## Tituli transcriptio:

- (1) *D(is) M(anibus)*  
 (2) *A*.....  
 (3—8) (vacant)  
 .....


## 31. TITULUS SEPULCRALIS IN STELA

Stela calcaria (*a.*: 2,12; *l.*: 0,60; *cr.*: 0,24) tabellam continet cum titulo (*a.*: 0,52; *l.*: 0,405), cuius litterae altitudine in singulis versibus dispare (v. 1: 0,08; vv. 2—3: 0,07; v. 4: 0,06; v. 5: 0,04) tempore iniquo valde detritae sunt. Etiam coronae, qua stela in parte supra titulum iacente ornata est, vestigia haud facile discernuntur.

Reperta est in loco Héreg-h-puszta (Hungaria, cf. CIL III 13435) appellato, nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-5472 asservatur. Imagines photographicae in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33649: omnis stela, P-33630: titulus) depositae sunt.

*Post a. 200.*

Vidimus; CIL III 13435; Gy. Alapi, *KJE* 1, 1913, p. 48; V. Ondrouch, *LR* 51, n. 42; L. Barkóczy, *Brig.* 51, n. 4.



Stela sepulchralis cum titulo n. 31





Tabella tituli n. 31

## Varia lectio:

- (1) .....*CYINA* CIL, Alapi, Ondrouch, Barkóczy.
- (2) .....*ALOSIF* CIL, Alapi, Ondrouch;  
.....*alosi f.* Barkóczy.
- (3) *ANN LXXV* CIL, Alapi, Ondrouch; *ann. LXLV* Barkóczy (lapsu typograph. officinae).
- (4) .....*N<sup>o</sup>OSVIT* CIL, Alapi, Ondrouch;  
.....*noosuit.* Barkóczy.
- (5) ..*A.IALIF* CIL, Alapi; ..*A..ALIF* Ondrouch; ...*a...alis* Barkóczy.
- (6) Etiam sextum versum, licet non legibilem, in titulo fuisse recte monent editores CIL, alii autem nullam mentionem huius versus faciunt.

Transcriptio tituli omissa dubitationem nostram significat, nam ex litteris paucis, quae nunc etiam legi possunt, verba quaedam conicere pro incerto habemus.

Litterarum forma et corona stelam decorans initium saeculi III. indicare videntur (cf. Barkóczy, *Brig.* 36, et tab. II).

## 32. TITULUS SEPULCRALIS IN SARCOPHAGO

Frontalis pars sarcophagi calcarii (*a.*: 0,89; *l.*: 2,32) tabulam profundiore marginibus ab omni parte ornatam (*a.*: 0,535; *l.*: 1,31) continens, cui ab utraque parte puerorum veste Phrygia indutorum figurae duae a lapicida symmetrice fabricatae insunt.


Extra tabulam litterae *DM* (*a.*: 0,07; *l.*:  $D = 0,075$ ,  $M = 0,095$ ) conspiciuntur, in tabula duae inscriptiones et altitudine et lapicidae arte variae exstant. Litterae tituli prioris, i. e. vv. 1—5, altae sunt 0,055, tituli alterius, i. e. vv. 5—7, 0,045. Diametrum monogrammatos 0,13 est.

Pars frontalis reperta esse a. 1854 sub terra in crypta ecclesiae catholicae in vico Želiezovce (districtus Levice, ČSSR) una cum altera tabula nullum titulum portante in tabulario eiusdem ecclesiae commemoratur. Ibi ex utraque tabula urna quaedam, quam sarcophagum fuisse explicat J. Dobiáš (*OP* I, 1922, p. 70 sq.), composita esse legitur. Barkóczy sententia sarcophagus Brigetione ortus in vicum Želiezovce tempore nescio quo transportatus est (*L. Barkóczy, Brig.* 41).


Nunc in ecclesia catholica vici Želiezovce (districtus Levice) situs, frontale altaris efficit. Imagines photographicae in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33638: omnis pars frontalis; P-33617: titulus) depositae sunt.

*A.* 200—235.

Vidimus; CIL III 11076; Gy. Veidinger, *A keleti vallások emlékei Pannóniában*, p. 29, n. 98; A. Stein, *Karpathenland* 4, 1931, p. 104; V. Ondrouch,



Sarcophagus altari ecclesiae catholicae cum titulo n. 32 insaeptus



Titulus n. 32

LR 56, n. 53; L. Barkóczy, *Brig.* 56, n. 96. Cf. et J. Dobiáš, *Sborník Bidlo*, p. 19; Ritterling, *Legio* 1456, 8; Z. Kádár, *Die Kulte* 44 sq.

Varia lectio:

- (3) *Erapuli* (= Hierapoli Cyrrhesticae) CIL III 11076; *Erapoli* male Ritterling.
- (5) Litterarum formae vocem *itero* una cum ultimis duobus versibus (vv. 6 et 7) adscriptam esse et participem tituli prioris — ut adhuc vulgo credebatur — non fuisse perlucide demonstrant. — *TE (itero)* in ligatura.

- (6) *qui super = is qui supra* CIL III 11076. *QVI·SVPER·VIXIT* lapis. *AE* (*Aelius*), *ET* (*vet.*), *AD* in ligaturis.
- (7) *NN* (*annis*) in ligatura.

Monogramma: *O(pto) te(rra) s(it) t(ibi) l(evis)* Ondrouch; *S(it) t(ibi) te(rra) l(evis)* in circulo CIL III 11076; eodem modo hoc monogramma et E. Diehl (*ILChrVet* I 434 = CIL III 866). *TE* (*terra*) in ligatura.

Tituli superioris transcriptio:

- (1) *D(is) M(anibus)*  
 (2) *Aelius Domitius vet(eranus)*  
 (3) *leg(ionis) II Adi(utricis) domo Erapuli*  
 (4) *cives Surus vivos sibi*  
 (5) *fecit.*

Tituli inferioris transcriptio:

- (5) *Itero(m)*  
 (6) *Ael(ius) D(o)mit(i)us vet(eranus) leg(ionis) II Ad(iutricis) qui super;*  
*vixit*  
 (7) *annis LXXXX.*

Monogramma in circulo: *s(it) t(ibi) te(rra) l(evis)*.

Ex vetustiore lectione vv. 4—5 *vivos sibi itero(m) fecit* tituli explanationem exordientes, Aelium Domitium alibi aliud sepulcrum sibi paravisse, quo uti non potuerit domicilio mutato, Mommsen (CIL III 11076) et Stein (l. c.) putabant. Sed vox *itero(m)* altero — ut diximus — titulo adhaerens ultimos versus „iterum scriptos esse“, i. e. „priori titulo additos esse“, significat et vice „annotationis“ fungitur (ad rem cf. R. Klotz, *Handwörterbuch der lateinischen Sprache* s. v. *iterum* in fine).

Puerorum figurae aut pro Mithrae comitibus Caute Cautopateque (cf. O. Pelikán, *Slovensko a rímske impérium*, p. 189) aut potius — ut Kádárió (l. c.) videtur — pro Attidibus duobus lugentibus haberi possunt.

Artem lapicidae ac formam ornamenti pertractans unaque cum aliis monumentis Brigetione ortis comparans et sarcophagum et titulum trium partium saeculi III. primae Barkóczy (*Brig.* 41) addixit.

## 33. TITULUS SEPULCRALIS IN SARCOPHAGO

Sarcophagus calcarius (*a.*: 0,78 [sine operculo]; *l.*: 2,10; *cr.*: 0,93) inscriptionem sepulcralem et in tabula et in operculo (*a.*: 0,50) incisam continet. In operculo sarcophagi imagine defunctae et personis theatralibus sculptis ornato *D* littera (*a.*: 0,09; *l.*: 0,07) a sinistro latere 0,46 et *M* littera (*a.*: 0,09, *l.*: 0,09) a dextro latere 0,50 distantes leguntur. In parte antica sarcophagi, in tabula (*a.*: 0,57; *l.*: 0,72—0,77) supra et infra marginibus rectis, a dextro et sinistro latere marginibus semilunaribus conclusa, litterae tituli (*a.*: 0,038—0,040) bene conspiciuntur.

Sarcophagus Brigetione (Szóny) repertus esse Barkóczy videtur. Nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2848 asservatur. Imagines photographicae in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33616; sarcophagus; P-33637: titulus) depositae sunt.

## I. dimid. saec. III.

Vidimus; Á. Milch, *KME* 12, 1906, p. 76; V. Ondrouch, *LR* 49, n. 37; A. Salač, *LF* 66, 1939, p. 328; L. Barkóczy, *Brig.* 56, n. 114.

## Varia lectio:

- (2) *ME AE (memoriae), VRE (Aureliae), RIAE (Valeriae)* in ligaturis.
- (3) *VAE (quae), IT (vixit)* in ligaturis; *VIXT* pro *vixit* legit Milch.
- (5) *dec(urio) m(unicipii) M(arcus) et Aelia Iusta* male Ondrouch; *m(unicipii) M(ogentianae)* potius quam *m(unicipii) M(ursellensis)* Salač.
- (6) *VL (dulcissimae)* in ligatura.
- (9) *opt(imae) spei* Ondrouch, *opt(io) spei* Barkóczy.

## Tituli transcriptio:

- (1) *D(is) M(anibus)*
- (2) *Memoriae Aureliae Valeriae*
- (3) *quae vixit ann(is) XX Aur(elius)*
- (4) *Valerianus vet(eranus) ex dec(urione)*
- (5) *al(ae) dec(urio) m(unicipii) M(ogentianae) et Aelia Ius-*
- (6) *ta parentes filiae dul-*
- (7) *cissimae fecerunt adi-*
- (8) *uwante Domitiano*
- (9) *opt(ione) spei fratre.*


Ad municipium Mogentianam vide adnotationem s. n. 9 editionis nostrae.

*Optio spei* = *optio*, qui centurio fieri sperat; ad rem Mommsen (*CIL* III 3445), Dessau *ILS* 2441, A. v. Domaszewski, *Die Rangordnung*, p. 41.

Sarcophagus priori parti saeculi III. addixit Barkóczy (*Brig.* 42)



Sarcophagus cum titulo n. 33




Titulus n. 33

## 34. TITULUS SEPULCRALIS IN SARCOPHAGO

In fronte sarcophagi calcarii (a.: 1,09 [cum operculo]; 0,66 [sine operculo]; l.: 2,12; cr.: 0,95) tabula profundior (a.: 0,36; l.: 1,18) et margine (l.: 0,04) circumdata litteras tituli magnitudine impares (litterarum a.: v. 1: 0,059; v. 2: 0,05; vv. 3—4: 0,06) continet.

Sarcophagus repertus — teste Kábikio — in vico Szomód (Hungaria), nunc in Musco Danubiano Comarnensi s. n. II-2849 asservatur. Imagines photographicae in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-26441: sarcophagus; P-33639: titulus) depositae sunt.

Vidimus; J. G. Kábik, *KJE* 1, 1913, p. 187—190; J. Dobiáš, *Musée belge* 26, 1922, p. 115 sq.; V. Ondrouch, *LR* 48, n. 35; A. Salač, *LF* 66, 1939, p. 327; L. Barkóczy, *Brig.* 56, n. 113.



Titulus n. 34 in sarcophago

*I. dimid. saec. III.*

Varia lectio:

- (3) *vico Odia curante Aur(elio) Ondrouch; Odiacurante legit Salač, qui formam nominis Odiacurans valde miratur; vico Odia curante Aur. Barkóczy. NT (Odiacurante) in ligatura.*

Tituli transcriptio:

- (1) *D(is) M(anibus)*  
 (2) *Aur(elio) Basso ex regione Seuma*  
 (3) *vico Odiacurante Aur(elius)*  
 (4) *Marinus filius f(aciendum) c(uravit).*

Utrum *curante* in versu tertio — syntagmate corrupto — ad Aurelium Marinum pertineat an vici nomen significet, incertum est. Attamen nomen vici ex

regione Zeugmate adhuc ignoti (cf. vici nomen *Hennia* — CIL III 11701) nobis hac inscriptione praebere videtur (cf. J. Dobiáš, l. c. et *Sborník Bidlo*, p. 20; E. Honigmann, *PWRE* XVII 1887, s. v. *Odia*; A. Salač, l. c.).

Ad cognomen Marini vide adnotationem s. n. 15 editionis nostrae.


Sarcophagus primae parti saeculi III. addixit Barkóczy (*Brig.* 42).

### 35. TITULUS SEPULCRALIS IN SARCOPHAGO

Sarcophagus verisimillime calcarius in fronte tabulam cum titulo continens, cuius utrumque latus figura viri stantis in aedicula ornatum est. De mensuris sarcophagi eiusque operculo, in quo litteras *DM* olim fuisse sperare possumus, editores nullam mentionem fecerunt.

Sarcophagus repertus est in vico Virt (districtus Comarnensis) in area praedii ante a. 1778 (Ondrouch). Sarcophagus in vicum Virt e Brigetione (Szőny) translatus esse putat Barkóczy. Nostris temporibus conspici non potest, nam in profundo 6 m alto sub terra horti apud domum n. 302 in vico Virt conditus mutilatusque iacet. Bello gentium secundo a. 1945 confecto novi incolae, qui ex Hungaria in vicum Virt migraverant, puteum effodientes latera sarcophagi abscessisse et corpore sarcophagi pro aquaeductu subterraneo usi esse dicuntur. Nunc vero puteus iste terra est obrutus.

Sarcophagi effigies e gypso iam ante a. 1939 facta in Museo Nationali Pragensi asservabatur, sed ubi nunc deposita esset, frustra quaerebamus. Imágenes phototypicas sarcophagi originalis in libris, qui enarrantur, videas: V. Ondrouch, *LR* tab. IV, im. 1; L. Barkóczy, *Brig.* tab. XXIII, im 1..



Tituli n. 35 in sarcophago e libro V. Ondrouch, Limes Romanus na Slovensku, imago luce denuo facta



Non vidimus; CIL III 4350 (male) et 11075; J. Kurucz, *RN* 48; J. Dobiáš, *Musée belge* 26, 1922, p. 111—114; A. Stein, *Karpathenland* 4, 1931, p. 104; V. Ondrouch, *LR* 55, n. 51; L. Barkóczy, *Brig.* 56, n. 103.

*l. dimid. saec. III.*

Varia lectio:

- (1) *ET* in ligatura.
- (3) *AVRELIAS* CIL III 4350; qua lectione nisus *Aurelia(n)us* legit Ondrouch. *AVR FLAVS* CIL III 11075, *Aur(elius) Fla(rius) Fla(rius)* CIL III, suppl. pars posterior, p. 2339 et 2392 (in indicibus); *Fla(v)us* Stein; *Fla(v?)us* Barkóczy.

Tituli transcriptio:

- (1) *Tiotigino et Polideuco*
- (2) *equitibus Romanis*
- (3) *Aur(elius) Fla(v)us cons-*
- (4) *obrinis carissimis*
- (5) *f(aciendum) c(uravit).*

Sarcophagum priori parti saeculi III. addixit Barkóczy, *Brig.* 42.

### 36. TITULUS SEPULCRALIS IN STELA

Infima pars stelae calcariae uva mystica cum avibus et fabrum signis ornata (a.: 0,81; l.: 0,94; cr.: 0,26) tabulam tituli fragmentariam (a.: 0,44; l.: 0,73) profundiore marginibusque ab imo 0,30, a lateribus 0,11 inclusam continet. In tabula tituli litterae singulorum versuum impares (vv. 1—2: 0,05; vv. 3—5: 0,045; v. 4: 0,06) facile leguntur.

Reperta Brigetione (Szőny, cf. CIL III 11035), nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2786 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33628) deposita est.

*l. dimid. saec. III.*

Vidimus; CIL III 11035; V. Ondrouch, *LR* 51, n. 41; A. Salač, *LF* 66, 1939, p. 329; L. Barkóczy, *Brig.* 53, n. 44.

Varia lectio:

- (1) [*Va*]L. *FIRMIN·AN VI* CIL III 11035; ... *LONGIN ANVI* Ondrouch; [*Va*]l. *Firmin. an. VI* Barkóczy.
- (3) *PH·S* CIL III 11035, *PHS* Ondrouch et Salač, qui hanc — ut putabat — abbreviationem *p(ientissimis) h(oc) s(epulcrum)* aut *p(onit) h(oc) s(epulcrum)* legendam proposuit; *p[ī]s(simis)* transcripserunt CIL III



Fragmentum stelae sepulchralis cum titulo n. 36

11035 et Barkóczy. *PIIS* in lapide, nam linea male visibilis inter litteras *II* posita nullo modo pro parte *H* litterae accipienda est. Vestigia *S* litterae ante litteram *S* (in voce *piis*) sita, sed bene non visibilia, ut lapicidae mendo incohata facile explicantur.

- (5) *VIVS·ET·S·F* editores, *VIV·S·ET·S·F* lapis.

Tituli transcriptio:

- (1) ...*L . Firmin(o) an(norum) VI*
- (2) *L(ucio) Val(erio) Longin(o) an(norum) IIII*
- (3) *con(iugi) et fil(iis) piis*
- (4) *L(ucius) Val(erius) Longinus*
- (5) *vet(eranus) l(egionis) I A(diutricis) P(iae) F(idelis) viv(us) s(ibi) et s(uis) f(ecit).*

Stelae ornamentum originem in Pannonia meridiana habere videtur. Quoniam stelam priori parti saeculi III. addixit Barkóczy, *Brig.* 39.

## 37. TITULUS IN LAPIDE SEPULCRALI

Lapis sepulcralis (*a.*: 0,77; *l.*: 1,15; *cr.*: 0,33) uva mystica et hederis ornatus tabulam continet ansatam (*a.*: 0,52; *l.*: 0,77) cum margine — summa et infima parte 0,065, in lateribus 0,05 lata —, cui litteris 0,05 altis, sed latitudine differentibus (*V* = 0,055; *P* = 0,03; *L* = 0,025) titulus incisus est.

Locus, ubi lapis repertus sit, ignoratur, sed Barkóczi hunc lapidem Brigitone (Szőny) ortum esse putat. Nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2794 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33621) deposita est.



Tabula sepulcralis cum titulo n. 37

1. *dimid. saec. III.*

Vidimus; Á. Milch, *KME* 12, 1906, p. 75 (cum imagine picta); A. Salač, *LF* 66, 1939, p. 327; V. Ondrouch, *LR* 48, n. 36; J. Dobiáš, *ČCH* 46, 1940, p. 74; L. Barkóczi, *Brig.* 53, n. 51.

Varia lectio:

- (5) *FIL P F* Milch, Ondrouch, Barkóczi; *fil(iae) p(iussimae)* Salač; *fil(iae) p(ater)* Dobiáš; *fil(ius) p(onendum) f(ecit)* male transcripsit

Ondrouch, cuius lectionem Salač ea de causa refutavit, quod abbreviatio talis adhuc ignoratur et quod Ulpia Alma 18 annos nata tantae aetatis filium, qui ei monumentum sepulcrale faceret, habere non potuit. Fuit ergo Ulpus Casso non filius, sed pater Ulpiae Almae.

Tituli transcriptio:

- (1) *D(is) M(anibus)*
- (2) *Ulpiae Almae*
- (3) *an(norum) XVIII*
- (4) *Ulpus Casso*
- (5) *fil(iae) p(iae) e(gregiae).*

Uvas mysticas tabulam ornantes observans titulum primae parti saeculi III. iure optimo addixit Barkóczy, *Brig.* 39.



Stelae sepulcralis cum titulo n. 38 fragmentum

## 38. TITULUS SEPULCRALIS IN STELA

Fragmentum stelae calcariae (*a.*: 0,71; *l.*: 0,73; *cr.*: 0,25) in superiore parte aëtoma habens cum tympano, cui caput Medusae inest, et cum acroteriis, in inferiore parte aedicula cum defuncti figura ornatum, litteras tantum duas *DM* (*a.*: 0,064) continet.

Ubi fragmentum repertum sit, ignotum est. Nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2832 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33602) deposita est.

*l. dimid. saec. III.*

Vidimus; L. Barkóczy, *Brig.* tab. L, im. 2.

Tituli transcriptio:

(1) *D(is) M(anibus)*

## 39. TITULUS SEPULCRALIS IN SARCOPHAGO

Sarcophagi calcarii (*a.*: 1,01; *l.*: 1,81; *cr.*: 0,85; operculi *a.*: 0,30) pars antica tabulam profundiore (*a.*: 0,44; *l.*: 0,93) titulo sepulcrali ornatam continet. Litterae extra titulum stantes (*D* — *a.*: 0,06; *l.*: 0,045; *M* — *a.*: 0,08; *l.*: 0,06 et 0,08) maiores sunt iis, quae tabulae insunt quarumque *a.*: 0,05—0,055, *l.*: 0,04 et 0,045 est. In versibus 2 et 5 folia hederæ in fine versuum posita lineas explent.

Ubi sarcophagus repertus sit, ignoratur, sed Barkóczy eum Brigetione (Szóny) ortum esse putat. Nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2847 asservatur. Imagines photographicae in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-26444: omnis sarcophagus; P-33634: titulus) depositae sunt.

*Saec. III. med.*


Vidimus; V. Ondrouch, *LR* 50, n. 39; A. Salač, *LF* 66, 1939, p. 329; J. Dobiáš, *ČČH* 46, 1940, p. 73; L. Barkóczy, *Brig.* 56, n. 112. — Partem tituli — ut putat Dobiáš — edidit J. Kurucz, *RN* 39, totum autem titulum Gy. Alapi, cuius editionem et Dobiáš et nos frustra quaerebamus.

Varia lectio:

(2) *D[A?]LILLE = D(a?)lill(a)e* Ondrouch, cuius lectionem a Salačio refutatam cum dubiis accepit Barkóczy; *Lucill(a)e* Dobiáš.

(5) *nau(archus) cl(assis) pr(aetoriae)* Ondrouch, Barkóczy; *nauc(er)us* Dobiáš.

(5—6) *NAVCLERVS PORTVS BRIG* Kurucz, qui praeter haec nihil aliud legit; num haec lectio pars sit nostrae inscriptionis, in dubiis est.



Sarcophagus cum titulo n. 39



Titulus n. 39

## Tituli transcriptio:

- (1) *D(is) M(anibus)*
- (2) *Valeri(a)e Luçill(a)e Ø (= obitae) hedera*
- (3) *quae vixit ann(is) XL*
- (4) *Aurel(ius) Martia-*
- (5) *lis naucler(us) port[u]s hedera*
- (6) *[Mis]eni coniu[lg]i*
- (7) *ca[r]issim(a)e f(aciendum) c(uravit).*

Sarcophagum a lapicida priore parte saeculi III. factum esse putat Barkóczy (*Brig.* 42), sed litterarum formis confidentes titulum saeculo III. medio attribuere volumus (cf. Cagnat, *Cours*,<sup>4</sup> tab. XVII).

## 40. TITULUS SEPULCRALIS IN TABULA CALCARIA

Tabula calcaria (a.: 0,67; l.: 0,90; cr.: 0,20) titulum in parte media profundioreque (a.: 0,45; l.: 0,765) continet, cuius litterae (a.: 0,03) non omnes clare conspiciuntur.

Reperta — teste Kuruczio — Celamantiae (Leányvár apud Comarnum), nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2814 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33633) deposita est.

*Saec. III.*

Vidimus; J. Tóth — Kurucz, *KME* 13, 1907, p. 49 (cum imagine phototypica); J. Kurucz, *RN* 46 sq.; V. Ondrouch, *LR* 49, n. 38; A. Salač, *LF* 66, 1939, p. 328; L. Barkóczy, *Brig.* 53, n. 48; A. Mócsy, *AArchHung.* 3, 1953, p. 189; P. Oliva, *Pannonia*, p. 314; R. Hošek, *Klio* 46, 1965, p. 355—357.

## Varia lectio:

- (1) *D M editores, [D] M lapis.*
- (2) *ET.RNIPSECVRITATIQVETI* Kurucz, *RN* 46; (a)ET(e)RN(ae?) P(erpetuae) SECVRITATI QVETI Kurucz, *RN* 47, et Ondrouch; et perp(etuae) securitati Q(uinti) Vet(i) Salač; [a]et[e]rn[ae?] securitati Quieti Barkóczy; Queti Mócsy, Oliva, Hošek.
- (3) *PATRI...CITACTVMANT(onio)* Kurucz, Ondrouch; *Patricii actu. M. Ant(onii) Salač; patri...citactum Ant(onio)* Barkóczy; *Petri [qui e]git actum Ant. Mócsy, cui consentit Oliva. Litteris ACTV munus quoddam militare abbreviatum esse Salač putabat, sed cum munus actu(arii) p(rimi)p(ili) aliunde ignoraret, titulum hoc modo supplere non audebat. Quod munus titulo Graeco a I. Stoian nuper laudato (Tomitana, p. 213) exstare putat Hošek.*
- (4) *AN* in ligatura.



Tabula sepulchralis cum titulo n. 40

- (5) *d(iebus)* XX editores, sed in lapide verisimilius *d(iebus)* XII. — *Q(uitus) Vetius* Salač, *Quietus Barkóczy*. VE (*Quetius*), AN (*Arrianus*) in ligaturis.
- (7) *ET* in ligatura. — *CANAFARIO* Kurucz, *CA<sup>F</sup>ABARIO* Ondrouch, *canabario* recte *Barkóczy*.
- (8) ....*TI* Kurucz, [*nepo*]ti Mócsy; ....*II* Ondrouch, *Barkóczy*; [*et contubernali*]li Salač, [*fide*]li Hošek.

Tituli transcriptio:

- (1) [D(is)] M(anibus)  
 (2) et perp(etuae) securitati Queti  
 (3) Patri[li]s? . . . ]cit(ani?) actu(arii) M(arci) Ant(onii)  
 (4) Agrippini p(rimi)p(ili) qui vix(it) an(nis) XXII,  
 (5) m(ensibus) X, d(iebus) XII, h(oris) VI, Quetius Arrianus  
 (6) pater filio pientissimo f(aciendum) c(uravit)  
 (7) et Ant(onio) Gelasio canabario  
 (8) [fide]li eius.

Dedicationis formula una cum litterarum formis saeculum III. indicare videtur.




## 41. TITULUS SEPULCRALIS CHRISTIANUS

In fragmento lapidis calcarii (*a.*: 0,55; *l.*: 0,62; *cr.*: 0,12) tabulae pars profundioris (*a.*: 0,45; *l.*: 0,48) linea terminatae titulum exhibet sepulcralem, cuius litterae in singulis versibus altitudine dispares (vv. 1 et 4: 0,06 — excepta I littera in voce (*h*)ic, quae = 0,078; v. 2: 0,07; v. 3: 0,065) facile leguntur.

Lapis repertus — teste Kuruczio — Celamantiae (Leányvár apud Comarnum), nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2843 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33619) deposita est.

*A.* 312—337.

Vidimus; J. Tóth — Kurucz, *KME* 13, 1907, p. 49 (cum imagine phototypica); J. Kurucz, *RN* 47; W. Kubitschek, *Römerfunde von Eisenstadt* 56; A. Stein, *Karpathenland* 4, 1931, p. 102; V. Ondrouch, *LR* 41, n. 14; L. Bar-kóczy, *Brig.* 54, n. 53.



Titulus sepulcralis christianus n. 41

## Varia lectio:

- (2) *IVSTIANTE* Kurucz.  
 (4) *VNNIANEMA* Kubitschek; *NVMIANEMA* Stein, Ondrouch;  
*NVNNIANEMA* Barkóczy; *NVNNANEMA* Kurucz, ut in lapide.

## Tituli transcriptio:

- (1) *Tu qui (h)ic oras*  
 (2) *Iustiane*  
 (3) *in mente (h)abe*  
 (4) *Nunnane(m) ma-*  
 (5) *trēm tu[am].*

Nomen defunctae „Nunnane“ cum nomine proprio „Nonnos“, quod tempore christiano extra Galliae fines se dilatavit, cohaerens putat R. Dostálová-Jeništová (*Studia antiqua Salač*, p. 102—109), sed ad rem cf. et *Nonana* (*ILChrV* 3630 Diehl = *CIL VI* 10944).

Titulum ut christianum confinio saeculi IV. et V. addixit Kubitschek (cf. et Stein, Ondrouch). Nos autem litterarum formis confidentes titulum aetate imperatoris Constantini I. — Barkóczium (*Brig.* 39) sequentes — incisum esse putamus.

## 42. TITULUS SEPULCRALIS

In lapide calcario (a.: 0,57; l.: 0,64; cr.: 0,09) litterae (a.: 0,045—0,05) non a homine fabro incisae leguntur.

Repertus est lapis — teste Kuruczio — Celamantiae (Leányvár apud Comarnum). Nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-4325 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33620) deposita est.

*Ante a. 400.*

Vidimus; J. Tóth-Kurucz, *KME* 13, 1907, p. 49 (imago phototypica); J. Kurucz, *RN* 47; V. Ondrouch, *LR* 42, n. 15; L. Barkóczy, *Brig.* 54, n. 54b; cf. et A. Mócsy, *Pannonia* 757,30.

## Varia lectio:

- (1) *.VOCATA* Kurucz, *Revocata* alii recte.  
 (2) *QV. NTILIAE* Kurucz, *Quintillae* alii recte.  
 (3) *FILIAE* Kurucz, *fili(a)e* alii recte.

## Tituli transcriptio:

- (1) *Revocata*  
 (2) *Quintillae*  
 (3) *fili(a)e.*



Titulus sepulchralis n. 42

Ondrouch (l. c.) et Barkóczi (*Brig.* 39) titulum pro christiano habent et saeculo IV. exeunti attribuunt, fortasse recte, cum nomina propria tituli saepe in aliis titulis aetatis christianae occurrant (cf. *ILChrVet* Diehl, t. III — Indices).

#### 43. TITULUS VOTIVUS UNA CUM TITULO SEPULCRALI CHRISTIANO

Lapis calcarius (*a.*: 0,53; *l.*: 0,63; *cr.*: 0,20) tabulam continens profundioiorem (*a.*: 0,325; *l.*: 0,465) et marginibus circumdatam, in qua litterae duorum titulorum *A* et *B* distingui possunt. Litterae tituli *A* 0,07 (vv. 1—2) et 0,05 (v. 3), tituli *B* 0,07 (vv. 1—2) altae sunt.

Lapis repertus — teste Kuruczio — Celamantiae (Leányvár apud Comarnum), nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2823 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33629) deposita est.



Titulus votivus erasus n. 43 A una cum titulo sepulerali christiano n. 43 B

Vidimus. Titulus *A* publici iuris factus adhuc non est. Titulum *B* publici iuris fecerunt: J. Tóth-Kurucz, *KME* 13, 1907, p. 49 (imago phototypica); J. Kurucz, *RN* 47; W. Kubitschek, *Römerfunde von Eisenstadt*, p. 56; A. Stein, *Karpathenland* 4, 1931, p. 102; V. Ondrouch, *LR* 41, n. 13; L. Barkóczy, *Brig.* 54, n. 54a.

### Titulus A

*Saec. III.* (?)

Varia lectio:

(3) vide sub titulo B.

Tituli transcriptio:

- (1) *I(ovi) O(ptimo) M(aximo) D(olicheno)?*
- (2) *SIVM (?)*
- (3) *..... ex v(oto).*

Si versus secundus nomen dedicatoris continet, nescimus, an abbreviationem *IVM* in CIL III 8075,19 et 12014,317 respicientes nomen *S(extus?) Ium(...)* conicere possimus. Si autem in inscriptione praeter Iovem et alium deum votis optatum sperare debeamus, Silvanus potissimum mentibus nostris occurrat.

## Titulus B

Ca a. 400.

### Varia lectio:

- (1) + *Dionisia* Kubitschek, Stein, sed lineas, quas pro signo crucis nomini anteposito putabant, pro vestigiis primae litterae tituli *A* habeas.
- (2) *PVIDVA* Kurucz.
- (3) *L"IXV* Kurucz, sed ad titulum *A* haec lectio pertinet.

### Tituli transcriptio:

- (1) *Dionisia*
- (2) *vidua*.

Titulum *B* Stein, Ondrouch, Barkóczy (*Brig.* 39) confinio saeculi IV. et V. addixerunt. Titulus et signo crucis omisso sine dubio christianus est, quippe qui dignitatem Dionisiae, cum viduitatem eius laudat, augere conatur.